& ſuus cuique locus reſtitueretur, & eos qui illos temerè abdicauerãt grauiter reprehenderet.] Hunc Præſulem ex Synodi etiam Sardicenſis ordinatione ad Alexandrinos remiſſum ſcio, ſed eius & Iulij decretum pro vno habendum eſſe tanto veriſimilius duco, quod huius Synodi Patres ad ſedem Romanam iudicium de Epiſcoporum depoſitionibus remiſerint.

IV. ANTIOCHENVS PATRIARCHA SVB ROMANO.

Antiochenum Patriarcham non minus Romano ſubditum fuiſſe ſatis clarè probabo, ſi Iuuenalis Hieroſolymitani verba ad Patres Concilj Epheſini, cui etiam aderat, retulero. [Oportebat, inquit, Ioannem reuerendiſſimũ Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta & magna & œcumenica Synodo conſiderata, confeſtim accurrere; vt de ijs, quæ illi obijciuntur, ſe purgaret, & ad Apoſtolicam ſedem magnæ Romæ nobiſcum conſidentem: & obedientiam & honorem deferre Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ Romanorum, (non enim legendum eſt Hieroſolymorum, vt doctiſſimè multis rationibus probauit Cardinalis Perronius, interpretatuſque eſt Peltanus) apud quem maximè mos eſt, ex Apoſtolico ordine & traditione, vt ipſa ſedes Antiochena dirigatur, & apud eum iudicetur.] Hinc fit vt longe ante hanc Synodum Paulo Samoſateno Antiochiæ Præſule depoſito à Concilo eiuſdem vrbis, Domnoque in eius locum ſubſtituto, cum Paulus huic ſententiæ obedire recuſaret, Aurelianus Imperator Gentilis, inquit, Euſebius[b] licet ſedi Romanæ non parum offenſus, conueniẽter ordinauit, vt huic ſedes Antiochena tribueretur, cui Romanus Pontifex aſſidentibus Italiæ Epiſcopis æquũ iudicaret. Sed & addam Maximum Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcham à Concilio[c] Chalcedonenſi ea potiſſimum ratione agnitum & acceptum fuiſſe, quòd eum legitimum huius ſedis Epiſcopum, & non Domnum, Leo Romanus iudicauerat, vt diſertè ait Anatolius Conſtantinopolitanus actione decima Concilij Chalcedonenſis.

a act. 4. Concil Epheſ. t. 1. Con. Παρ' ᾧ μάλιστα ἔδει αὐτὸν τ' Ἀντιοχέων θρόνον ἐξ ἀποστολικῆς ἀκολουθίας, καὶ παραδόσεως, ἰδύνεσθαι, καὶ παρ' αὐτῷ δικάζεσθαι.

b Euſeb. l. 7. c. 14.

c Act. 10. Conc. Chalced. Τοιαῦτα κατασοφίζεσθαι, μηδὲν τῶν ἐν ἐκείνῃ τῇ λαμπρᾷ σωόδῳ πεπραγμένων κρατεῖν, πλὴν τὰ κτ' ἐμοῦ τοῦ μεγίστου Ἀντιόχειαν ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Μαξίμου ἐπιδεῖν ἄρα καὶ ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Ρωμαίων Λέων εἰς κοινωνίαν αὐτὸν δεξάμενος, ἀρχὴν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἐδικαίωσεν. ᾧ πῃ τύπῳ ἀκολουθῶν αὐτός τε σωμένεσθαι, καὶ πᾶσα ἡ παρεῦσα ἁγία σωόδος.

V. HIEROSOLYMITANVS PATRIARCHA SVB ROMANO.

Dum vno Patriarcha Hieroſolymitano dicendum ſupereſt: ſed quis hunc Romano ſubiectũ fuiſſe ambiget, ſi alios, vt ſatis fusè probauimus, poſt eorum electionem Romanus confirmabat, lapſos in fide de throno deiiciebat abdicabatque, variaque in eos authoritatis iura exercebat? Ne tamen huius à Romano dependentiam, licet certiſſimam, ſine probatione relinquamus, Innocentium primum[d] ad Hieronymum ſcribẽtem teſtem proferam, qui iudices huic promittit, ſi aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum accuſationem ferat, aſſeritque ſe iã Ioanni ſcripſiſſe, eumque hortatũ eſſe, vt circumſpectiùs ageret. Quid plura? cum his teſtimoniis, quaſi clarioribus ſolis radiis, ſuprema in alios Patriarchas Romani authoritas illuſtrata ſit; nec iã dubitari poſſit, quin reuerà Epiſcopus Patriarcharum, vt in ipſo limine huius libri ex Caſſiodoro diximus, primis Eccleſiæ ſæculis ab omnib⁹ orthodoxis agnitus fuerit.

d Innocent. 1 ep. 33 ad Hieronym.

VI. EPISCOPVS ROMANVS EST PATRIARCHA.

Iam verò quod præter ſummum illum honoris titulum, etiam Patriarchæ nomine donaretur, nullus quod exiſtimẽ dubitare poteſt. Siquidem in libello[e] magno Leoni & Concilio Chalcedonenſi à Sophronio oblato, Archiepiſcopus & Patriarcha magnæ Romæ dicitur: ſicut Agapetus Archiepiſcopus & Patriarcha [f] Romanorum, in epiſtola Epiſcoporum Orthodoxorum Orientis contra Anthimum. Vnde nec dubitauit Iuſtinianus Imperator huic locum inter Patriarchas aſſignare Nouella ſua, cum ait: [[g] Iubemus vt beatiſſimi Archiepiſcopi & Patriarchæ, hoc eſt, ſenioris Romæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum, in ordinatione ſua ea ſolùm præbeant, quæ præberi mos eſt.]

e act. 3. Concil. Chalced. Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ Πάπᾳ τῆς μεγάλης Ρώμης Λέοντι.

f Act. 1. Conc Conſtantinopolitani. Δεσπότῃ ἡμῶν, τὰ πάντα ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ, πατρὶ πατέρων ἀρχιεπισκόπῳ καὶ Ρωμαίων, καὶ οἰκουμενικῷ Πάπᾳ Ἀγαπητῷ.

g Iuſtinia. Nouella 3. vt ſuprà.